



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica


Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De subsistentia substantiæ prædicamentalis siue
prædicamenti substantiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)



TRACTATUS III.

De substantia substantiæ predicamentalis, siue predicamenti substantiæ.

CAPUT I.

Quid substantia, siue suppositum nature superaddat?

I **A**BSOLUTA substantia in communi ad substantiam singularem, siue substantiam, aut suppositum pergo: id quod recte, & non infueta methodus flagitare videtur. Prima ergo sententia est Durandi in 1. dist. 34. q. 1. & non paucorum Nominalium, suppositum supra naturam nihil addere realiter distinctum, sed solum aliquid ratione distinctum: cum enim natura humana, siue humanitas in abstracto significetur; homo verò, siue suppositum humanum in concreto? non possunt non ratione distingui: cum verò definitio, & definitum realiter distingui nequeant; natura verò, siue essentia humana hominis definitio sit, & homo definitum; sanè natura humana, & homo, siue suppositum humanum realiter non distinguuntur. Verum hæc sententia parum tuta est, & merito iam ab omnibus reiicitur: namque imprimis sicuti ens, & entitas; res, & realitas; Deus, & Deitas ne ratione quidem distinguuntur; tametsi hinc in concreto, illinc verò in abstracto significantur: ita similiter non conspicio, cur homo, & humanitas ratione distinguantur, eo quòd nominibus concretis, & abstractis vsurpentur. Deinde Verbum diuinum assumpsit humanitatem, siue naturam humanam, ut fide sanctum est: sed non assumpsit substantiam, siue personam humanam, ut etiam indubitatum est: ergo persona, aut suppositum à natura plusquam ratione distinguitur: aliàs vna sine altera assumi, vnaque ab altera realiter separari non posset: haud aliter ac homo, & animal rationale separari realiter, vnumque absque alio assumi nullatenus potest, quantumlibet ratione distinguantur. Tandem, quòd definitio, & definitum realiter idem sit, arguit naturam humanam metaphysicè sumptam, ab homine, siue supposito humano realiter non distingui; secus verò naturam humanam physicè sumptam, & prout cum corpore & animo coincidit: in quo solo sensu eius à supposito discrimen controuertitur.

2 **S**ecunda sententia est, suppositum supra naturam addere solum differentias indiuiduantes. Ita B. Thomas 1. part. quæst. 3. art. 3. & nonnulli eius asseclæ. Ceterum hæc sententia non magis probanda est eà, quam proximè improbauimus: nam Verbum assumpsit naturam humanam non in communi, sed in singulari, seu in atomo; ut cum Damasceno omnes Theologi fatentur, ac seipso perspicuum est: sicut enim res aliqua in communi produci, aut producere nequit; ita similiter in communi, & prout præcisè à differentiis indiuiduantibus assumi, aut hypostaticè vniri nequit: at Verbum non assumpsit suppositum, aut personam humanam: ergo suppositum non est natura humana differentiis indiuiduantibus affecta. Rursus, aut sermo est de differentiis indiuiduantibus naturam essentialiter contrahentibus, & ab ea sal-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

tem realiter absolute indistinctis; vel de iis, quæ naturam accidentaliter contrahunt, ab eaque realiter distinguuntur. Cum autem vtrumque insinuet Angelicus Præceptor, neutrum sustineri potest: non primum, quia cum indiuiduatio essentialis, siue hæcceitas ad summum virtualiter intrinsecè, siue ratione ratiocinata distinguatur à natura, quam indiuiduat, & hanc efficit; fieri certè nequit, ut Verbum assumpsit naturam humanam, quin eiusmodi hæcceitatem, ac proinde personalem humanam assumpsit. Secundum etiam dici nequit: tum quia suppositum, siue Petrus, quatenus talis, substantia est: igitur accidentibus indiuidualibus & propriis constitui nequit: aliàs tam ens per accedens, quàm album foret. Tum etiam, quia Christus assumpsit naturam humanam propriis, & peculiaribus accidentibus affectam, & ut aiunt, sigillatam: at non assumpsit naturam humanam personatam, aut substantem: igitur substantia, aut persona hominis in eius natura accidentibus affecta, & indiuiduata, nequiquam consistit.

3 **T**ertia sententia Scoti in 3. dist. 1. quæst. 1. substantiam duplici negatione constituit; vnâ, quæ sit actualis dependentiæ à toto, siue supposito; defectu cuius humanitas Christi vnita Verbo propria substantia non subsistit: aliâ, quæ sit aptitudinalis dependentiæ ab aliquo toto, siue supposito; defectu cuius animus separatus à corpore non subsistit, nec personatur. Verum hæc sententia ex mysterio Trinitatis impugnatur: siquidem in diuinis reperitur triplex substantia, per quam natura Dei ineffabiliter subsistit: at neutra earum in negatione consistit: negatio enim realiter producere, aut naturaliter produci non potest, cum tamen substantia Patris realiter producat: substantia autem Verbi, & Spiritus Sancti realiter producantur. Dices: ex eo, quòd natura diuina triplicem substantiam fortia-
tur, nequiquam colligi potest, naturam creatam tripliciter subsistere posse: ergo similiter ex eo, quòd natura diuina per aliquid posituum subsistat, perperam inferitur, naturam etiam creatam per aliquid posituum, non verò per negationem subsistere. Contrà tamen quia quamuis ex numero personalitatum in diuinis ad eandem naturam creatam rectè argui non possit, tamen ab earum perfectione positua ad perfectionem posituam personalitatis creatæ non malè arguitur. Quod à contrario hunc in modum ostendo: tametsi ex eo, quòd Deus vno, eodemque realiter actu velit, & intelligat, haudquaquam colligi possit, creaturam vllam vno, eodemque realiter actu intelligere, & velle debere. Ceterum ex eo, quòd Deus actu positiuo, & non vlla negatione velit, & intelligat, benè efficitur, creaturam etiam rationalem actu positiuo, & non negatione intelligere, & velle: igitur quamuis ex eo, quòd Deus multiplici substantia subsistat, non fiat creaturam etiam multiplici substantia subsistere oportere: rectè tamen effici poterit ex eo, quòd Deus aliquo positiuo subsistat, nonnisi aliquo etiam positiuo creaturam subsistere.

4 **S**ecundò impugnatur ea sententia ex mysterio incarnationis: quia fide sanctum est, Verbum assumpsisse naturam humanam, non verò suppositum humanum: at, si suppositum duplici illa negatione Scotica constaret; certè ideo Verbum assumeret naturam humanam, non verò suppositum,

K quia

quia non assumpsit naturam humanam relinquendo illam non unitam, siue cum negatione vnionis hypostaticæ secum: at hoc ridiculum videretur: quia Ecclesia sanxit, quod ab hæreticis negatum est: at ab hæreticis minimè negatum est, aut negari potuit, naturam humanam non unitam Verbo, siue cum negatione vnionis cum Verbo, ei tamen unitam, & ab eo assumptam esse: igitur Ecclesia minimè sanxit, Verbum non assumpsisse naturam humanam in unitam sibi: cum ergo sanxerit, Verbum non assumpsisse suppositum humanum; sanè suppositum humanum aliud longè est quàm natura humana in unita, siue affecta negatione vnionis hypostaticæ: aliàs cum Ecclesia sanxit illud prius, nihil præter hoc posterius sanxisset. Rursus, vt Ecclesia huius veritatis lucem à Deo impetraret orationibus, vigiliis, ieiuniis & consilio virorum sanctitate, & doctrinâ præstantium vsa est: quis autem sui compos asserat, hæc omnia eo spectasse, vt naturam humanam verbo unitam non esse in sensu composito carentiæ vnionis Ecclesia definiret. Dices Ecclesiam abstraxisse ab opinionibus, vt plerumque solet, & cum incertum esset, an subsistentia aliquò positiuo, an mera negatione consisteret, Ecclesiam sanxisse Verbum diuinum non assumpsisse suppositum creatum, siue eiusmodi suppositum in modo aliquo positiuo superaddito, siue in ipsa natura humana in unita consisteret, fierique potuisse, vt hæretici arbitrarentur, suppositum creatum supra naturam addere modum aliquem positiuum, & hunc à Verbo assumptum fuisse: contra quos equidem non inepta, nec obscura Ecclesiæ censura extitit. Contra tamen, quia hæreticis ea fuit errandi occasio, quod naturam à subsistentia minimè distinctam censerent, vt Patres communiter docent, & præfertim Damascenus lib. 3. de fide cap. 3. ibi: *verum hoc hæreticis inducit errorem, quòd idem dicant naturam, & hypostasim*: ergo hæretici nequiquam censuerunt, subsistentiam addere modum aliquem positiuum naturæ, & hunc fuisse à Verbo assumptum: cum ergo Ecclesia definiuit, Verbum non assumpsisse subsistentiam humanam, de modo illo positiuo sermonem non habuit: ac proinde, si vera est sententia Scoti, illud tantum definiuit, Verbum non assumpsisse, quod non assumpsit, nec vnuisse sibi naturam humanam in unitam.

Argumentor tandem contra Scotum: suppositum creatum, homo, verbi gratia est substantia, & ens per se, vt omnibus exploratum est: igitur ex natura humana, & duplici illa negatione coalescere nequit; prout haud dubiè coalesceret, si duplex illa negatio subsistentia esset. Consequentia suadetur quia nullum ens reale non ente intrinsecè constitui potest; aliàs profecto homo, vel humanitas ex forma vera, reali, & materia non reali, sed potius chymarica constitui posset: & qui hoc assereret, nullius falsitatis conuinci posset: at substantia est ens reale: igitur eo ipso, quod homo sit substantia, non ente, siue negatione constitui nequibit. Præterea idcirco acutius lapidum nequit esse ens per se, vnaue substantia, quia constat partibus minimè inter se vnitis: at natura humana, & negatio neque vniuntur, neque etiam diuinitus vniri possunt: igitur homo ex vtraque resultans ens per se, siue vna substantia esse non potest. Deinde ad hominem contra Scotum, quia vel ex natura humana, & duplici illa negatione refultat aliquod tertium ab iis realiter distinctum, quod homo sit; & certè in eo tertio, & non in ipsa negatione supposititas collocari debet: vel nihil tertium resilit, sed potius homo est complexum naturæ humanæ, & duplicis negatio-

nis; & sic homo nequit esse totum per se, sed potius debet esse totum per accidens: haud aliter ac in sententia Scoti si humanitas esset complexum materiæ, & formæ, & non aliquid ab illis distinctum, humanitas non esset ens per se, sed solum per accidens.

CAPVT II.

Referuntur, & refelluntur alie sententie.

Quarta sententia est Recetiorum Thomistarum, vt videre est apud Patrem Suarez disput. 36. Metaphys. sect. 4. num. 6. subsistentiam nihil aliud esse, quàm existentiam. Cæterum hæc sententia reiicenda etiam est, primò: quia accidentia propriam existentiam sibi vendicant: vel quia existentia eorum ab eorundem essentia minimè distinguitur: vel quia supposita distinctione essentia ab existentia, sicuti accidentia proprias durationes, vbicationes, aliasque affectiones habent, non erit, cur etiam per proprias existentias ab existentia substantia distinctas non existant: at non subsistunt, nec suppositantur. Secundò ex mysterio incarnationis: quia Verbum assumpsit existentiam naturæ humanæ: at non assumpsit eius subsistentiam: altera ergo ab altera distinguitur. Maior suadetur: tum quia existentia naturæ humanæ ab eius essentia realiter indistincta, & inseparabilis est: tum etiam quia quæadmodum fieri nequit, vt materia, & forma per eandem existentiam existant, esto essentia, & existentia realiter distinguantur, vt in Phisicis ostendimus: ita similiter fieri nequit, vt humanitas Christi, & eius increata subsistentia per eandem existentiam existant. Terriò ex mysterio Trinitatis, quia iuxta plerosque Thomistas est vna tantum existentia absoluta tribus personis communis, non verò triplex existentia etiam relatiua: at in Deo datur triplex subsistentia: ergo subsistentia, & existentia, non coincidunt.

Quinta, & postrema sententia est, suppositum addere supra naturam entitatem aliquam incompletam, quæ tamen naturæ, à qua realiter distinguitur, complementum sit. Ita Argentinas in 3. distinctione. 6. q. 1. art. 1. Caietan. Ferrara, Ægidius, & Antonius Pantusa in lib. de prædestinatio. & gratia cap. 10. ite Suarez, Fonseca, Vázquez, Valéria, Hurtadus, & Arriaga, quos communiter nostri recentiores sequuntur: Hanc tamen sententiam hoc vnicò argumento confutati posse existimo. Quotiescumque effectus formalis alicuius forme, aut entitatis incompletæ repugnat, ipsa etiam forma, aut entitas incompleta repugnat: at eius formæ, aut entitatis incompletæ, in qua subsistentia collocatur, effectus formalis nullus assignari potest, qui planè non repugnet: ergo &c. Minor suadetur, & obiter ostenditur in quo Authores huius sententiæ in ea explicandâ differant.

Quod etenim aiunt, Caietanus, Ferrara, & alij Thomistæ entitatem illam incompletam esse mediam inter naturam, & existentiam; ac proinde eius effectum formalem esse constituere naturam in ratione subiecti apti ad extendendum; hoc, inquam, commentitium est; cum enim essentia ab existentia realiter indistincta sit, nullam habet potentiam passiuam proprie talem respectu existentia, quæ per subsistentiam præparetur. Deinde prius natura est, rem existere absolute, quàm existere tali modo; qua ratione omnis res prius existit, quàm per vbicationem, aut durationem in tempore, & loco existat: at subsistere est existere tali modo, videlicet

videlicet per se, aut incommunicabiliter, aliove pacto: igitur natura, siue essentia prius natura existit absolute, quam subsistat: perperam igitur asseritur, subsistentiam antevertere existentiam, & esse quandam præparationem naturæ ad illam. Quod autem secundo loco docent complures Theologi, præsertim Thomistæ, effectum formalem huius entitatis incompletæ esse complere naturam ad hoc, ut operari possit iuxta illud axioma; *actiones sunt suppositorum*: hoc etiam facile refutari potest: tum quia accidentia se ipsis immediatè operatiua sunt, ut cernere est in accidentibus Eucharisticis, quæ ad operandum ne subiecti quidem concursus exposcunt: sicut igitur accidentia sine entitate incompleta, aut suppositualitate iis superaddita sunt proximè operatiua: cur id ipsum de substantia, quæ accidentibus perfectior est, non censeatur? Tum etiam quia anima separata est proximè operatiua, cum tamen entitate illa completa, siue personalitate careat: ergo eiusmodi entitas incompleta ad id necessaria non est, ut rem ad operandum proximè compleat. Tum demum, quia ut homo v. g. sit proximè expeditus ad operandum, nihil aliud opus habet, quam ut corpus, & anima eius uniantur, & in totum per se coalescant: ergo propter facultatem proximam operandi, entitas illa incompleta frustra superadditur.

9 Rursus quod docet P. Vasquez 3. p. disp. 3. 1. cap. 6. subsistentiam esse modum existendi per se, eiusque effectum formalem esse, efficere, ut res sit per se, siue ut sit independens à subiecto inhesionis: hic, inquam, explicandi modus mihi non probatur: quia Angelus seipso essentialiter est ens per se, & independens non solum à priori (quod aduersarij largiuntur) verumetiam à posteriori, quod inficiantur: quocumque, inquam, modo est independens à subiecto inhesionis, cum inhaerere essentialiter ei repugnet: igitur eam independentiam à seipso, & non à modo superaddito fortitur. Antecedens perspicuum videtur: tolle enim ab Angelo quemlibet modum superadditum, ceterè Angelus à subiecto inhesionis neutiquam pendebit, aut poterit. Tum secundo, quoniam anima rationalis in statu separationis à subiecto inhesionis, aut affectionis intrinsecè non pender: & tamen in eo statu subsistentiam, aut personalitatem sibi non vendicat: cum tunc persona, aut etiam semipersona non sit, ut ipse Vasquez in simili alibi argumentatur: igitur eiusmodi independentia effectus formalis subsistentiæ, siue personalitatis esse nequit. Tum demum, quia humanitas Christi Domini vnita Verbo independentiam à subiecto inhesionis sibi propriam retinet: neque enim Verbo inhaeret, in eoque naturaliter recipitur: & tamen propriam subsistentiam non retinet: ergo subsistentia per eiusmodi independentiam non bene explicatur. Quod si respondeas, naturam humanam Christi retinere independentiam à priori, siue actionem creatiuam, non verò independentiam quasi à posteriori, videlicet modum quandam substantialem superadditum, qui ex ea, nisi vnita esset verbo, haud dubiè resularet: in contrarium illud est, quia eiusmodi modus independentiæ superuacaneus, & impossibilis est, ut nuper ostendimus.

10 Deinde quod docet P. Suarez disp. 34. Metaphys. sect. 4. n. 24. effectum formalem, & munus eius entitatis incompletæ, in qua consistit subsistentia, esse reddere naturam vltimò completam in ratione existendi, siue esse vltimum complementum substantiale naturæ: hoc, inquam, rem minime illustrat. Primò quia id ipsum est, quod perimus; cur, postquam materia per formam completur, & ex iis totum per se resultat, vltiori complemento substantiali opus sit: aut quid

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

nam sit eiusmodi complementum? Secundò, quia iuxta P. Suarez materia prima priusquam per formam compleatur, per subsistentiam sibi peculiarem completur: ergo de ratione substantiæ non est, ut sit vltimum complementum substantiale naturæ: siquidem forma posterius, quam subsistentia materiam complet. Tertio, quia natura diuina prius origine completur substantialiter per personalitatem Patris, quam per filiationem: & per hanc prius, quam per spirationem passiuam: ergo nec personalitas Filij est vltimum complementum substantiale naturæ diuinæ, cum tamen alterutra sit vera personalitas.

Præterea quod nonnulli docent apud Ariagam disp. 4. Metaphys. sect. 8. subsect. 2. munus eius entitatis incompletæ esse, efficere, ut natura sistat in se, & vltius non progrediatur: quo fit, inquit, ut partes propriè non subsistant, cum non sistant in se, & altera alteri, & ambæ toti communicentur. Deinde etiam fieri existimant, ut natura aliqua creata duplici personalitate, propria nimirum, & aliena, etiam diuinitus terminari nequeat; quoniam eiusmodi natura simul subsisteret, ut supponitur, & non subsisteret, quia non sistet in se, sed vltius ad alienum suppositum progredieretur. Hoc, inquam, quod nonnulli ad rei explicationem adducunt, eam inexplicatam relinquit: siquidem imprimis cum dicit naturam vi subsistentiæ sistere in se, sensus esse nequit, eam non sistere in alio; cum in supposito à se distincto proculdubio sistat, & existat: ergo sensus est, naturam terminari propriè à suppositualitate: explicare autem munus subsistentiæ, & suppositualitatis per hoc, quòd natura propria suppositualitate terminetur, est idem per idem exponere, ac meris vocibus imponere. Deinde quod aiunt, partes non subsistere propriè, eo quòd sibi inuicem, necnon toti communicentur, finolum planè est: siquidem totum ipsum tam communicatur partibus, quam hæ toti: ac totum per partes, & partes per totum ex æquo perficiuntur: at hoc non obstante totum subsistit: ergo & partes totius. Quod etiam inferunt, naturam creatam, ne diuinitus terminari posse duplici suppositualitate, plus soliditatis non habet: namque natura diuina subsistit per personalitatem Patris; ac proinde iuxta hos Authores sistit in se: & tamen vltius ad personalitatem secundæ, ac tertiæ personæ vltius progredi, eaque terminari potest: ergo similiter quamuis natura creata, &c.

12 Vltius quod alij apud Ariagam ubi supra docent, effectum formalem eius entitatis incompletæ esse reddere naturam incommunicabilem: quod etiam B. Thomas 3. p. q. 3. non leuiter insinuare videtur. Hoc, inquam, luculenter confutari potest. Primò namque subsistentia Patris denominat naturam diuinam subsistentem: at eam incommunicabilem non efficit, cum vltius Filio, & Spiritui sancto eam communicari non solum sinat, verumetiam efficiat. Secundò quia materia tamen pro priori naturæ ad formam propria, & partiali subsistentia iuxta aduersarios gaudeat; eius tamen merito non redditur incommunicabilis formæ: parique ratione vna pars aquæ verè subsistens ob id alteri parti integrali incommunicabilis non est. Tertio, quia vel ratione subsistentiæ natura fit incommunicabilis alieno supposito, Verbo v. g. ex natura rei tantum: & sic, cum natura humana hoc pacto sit per se incommunicabilis, ceterè per seipsam, & non per aliquid à se distinctum subsistit: quod tamen sapè improbatum est: aut natura humana redditur per subsistentiam incommunicabilis Verbo etiam

K 2 diuinitus;

diuinitus : & hoc omnino falsum est, vt ex sequentibus apparebit.

13 Postremo alij docent, effectum formalem eius entitatis incompletæ esse reddere naturam substantialem etiam diuinitus incommunicabilem alteri substantiæ, quæ non sit naturale complementum illius : quo sit, inquirunt, vt natura nequeat etiam diuinitus terminari simul propria propria substantiâ, & alienâ : quia aliâs propria substantia tali naturæ effectum suum formalem non tribueret. Deinde etiam colligunt, tres personas diuinas ne diuinitus assumere potuisse eandem naturam humanam : quia cum prior persona redderet naturam incommunicabilem cuius alteri substantiæ præternaturali : certè secundæ, & tertiæ personæ eam incommunicabilem efficeret. Verum in primis quorsum natura Angelica haberet entitatem aliquam completam, per quam sit etiam diuinitus inuisibilis alteri naturæ Angelicæ : nonnè sufficit, quod vna per seipsam sit naturaliter inuisibilis alteri? aut præter hanc repugnantiam naturalem, quæ alterius repugnantia essentialis superaddita necessitas, aut vtilitas esse potest? equidem natura non habet entitatem vllam incompletam, per quam reddatur diuinitus incommunicabilis iis accidentibus, quæ eius naturale complementum nec sunt, nec esse possunt : an enim, cum intellectus humanus ad visionem Dei, verbi, gratia eleuatur, eo ipso formam aliquam sibi connaturalem amittit : aut, cum voluntas ad amorem beatificum euehitur, quidquam naturæ suæ consentaneæ deperdit? aut cum homo ad gratiam creatoris attollitur, præter peccatum habituale, quod nihil actu existens in homine est, aliquid aliud ei deperit? Certè cum natura ad dona supernaturalia effertur, quæ ei naturalia sunt, non amittuntur, sed potius perficiuntur, & oppositum, vel aduersariorum arbitrio ridiculum est : cur ergo natura sortiat entitatem, formamve vllam, per quam reddatur diuinitus incommunicabilis cuius substantiæ, quæ non sit naturale complementum illius?

14 Quod autem atinet ad corollaria, quæ ex præsentis capite legitime deducuntur, vel ex eorum falsitate falsitas sententiæ colligi potest. Primum hac ratione refello, quia non magis complet substantia naturam, quam forma substantialis materiam : at non repugnat eandem materiam affici duplici forma substantiali, propriâ videlicet, & extraneâ; vt si materia cœlestis formam cœlestem, & sublunarem susciperet, ergo etiam non repugnabit eandem naturam affici substantiâ propriâ, & alienâ; vbi substantia ad modum formæ entitas incompleta sit. Deinde natura diuina simul, & semel triplici substantia completur : cur ergo repugnet, naturam creatam duplici substantiâ, propriâ, & alienâ simul completi? Quod enim substantiæ diuinæ connaturales sint; id vero de substantia propriâ, & aliena alicuius naturæ creatæ dici nequeat? hoc inquam, rationem disparerem non reddit : quemadmodum enim naturaliter repugnat, materiam affici duplici formâ, aliâ propriâ, & aliâ alienâ; ita similiter repugnat naturaliter materiam simul affici forma duplici : quarum alterutra seorsim ab alia ei propriâ, & connaturalis esset : ergo etiam quemadmodum non repugnat, eandem naturam duas, vel tres substantias connaturales simul terminare; ita similiter non repugnabit, eandem naturam terminare duplicem, vel triplicem substantiam : quarum aliqua, non omnes, connaturales sint. Posterius etiam corollarium hac ratione refello : natura diuina quamuis summè completa sit, vltius compleri potest per tres substantias easque sibi connaturales : ergo à fortiori natura ali-

qua creata de se incompleta compleri potest per tres substantias diuinas supernaturaliter. Deinde, quemadmodum forma substantialis est actus incompletus materiæ; ita etiam substantia totius naturæ iuxta aduersarios : at materia diuinitus suscipere potest plures formas substantiales sibi minimè connaturales, verbi gratia materia sublunaris formam solis, & formam lunæ, alteriusve syderis : ergo etiam natura plures substantias diuinas extraneas sibi, præsertim quia, vt ait Augustinus epist. 3. ad Volusianum, in hoc mysterio tota ratio facti est potentia facientis. Quod autem de iis corollariis non iuxta aduersariorum sententiam, quatenus hucusque argumentati sumus, sed absolute, & iuxta veriorem doctrinam sentiendum sit, mox videbimus.

CAPVT III.

Nostra de subsistentia opinio.

15 CVM de natura, & substantia compositi substantialis libro 2. Physicæ tractatu 10. capite 2. & 3. sermo nobis esset, fusè explicauimus, quatenus substantia, siue hypostasis in substantia completa singulari completa consistat, & quatenus à natura interdum distinguatur, videlicet cum partibus physicis constet : interdum vero à natura non distinguatur, videlicet cum simplex est, & partium expers. Ibidemque pro virili exposuimus, quousque nostra sententia ab exosa, & exoleta Durandi dissideat : & argumenta contra eam omnia enodauius. Modò verò actum non egero, si eandem sententiam iterum proponam, atque iterum denudè confirmem : vt nihil eorum prætermittam, quæ de substantia communiter disceptari solent. Quapropter sic arguo : cum perpexum, & dubiosum valde sit, an substantia sit in composito substantiali vna tantum pro vnitæ totius, an multiplex pro multiplicitate partium; & rursus an sit res, vel modus; ac deinde, an natura humana propria, & aliena substantia terminari possit; ac demum, an tres personæ diuinæ eandem naturam humanam assumere potuerint? Nihil horum in oppositis sententiis commodè explicari potest : omnia verò in nostra sententia faciem, ac dilucidam explanationem habent : nostra ergo sententia reliquis anteferenda. Quod nostra sententia difficultates has exoluat, ex eo perspicuum est, quia cum substantia iuxta nos sit totum illud completum, quod ex partibus simul sumptis, & vnitatis resiliit; ex iisdem vero partibus non nisi vnicum totum resiliere possit, plane constat in composito vnicam tantum substantiam esse posse. Hinc etiam constat, eandem naturam humanam simul terminari non posse propriâ substantiâ, & alienâ, aut etiam triplici substantiâ diuinâ : quia aliâs ex eadem natura humana, siue ex iisdem partibus duplex, vel triplex totum resultaret; vel certè aliquid quod duplicis, vel triplicis totius vicem gereret, eique æquialeret. Rursus cum substantia sit substantia singularis completa, aut partium expers, aut ex partibus coalescens, certè res absoluta non esse non poterit : qua enim ratione modulus essendi esse potest id, quod est ipsum esse completum, & substantiale?

Quantum verò negotium hæc difficultates aduersariorum nō paucis facessant, quā potuero breuitate, & claritate proponam? propolitis nimirum iis, quæ aduersarij

aduersarij vtrōque citroque opponunt, & minimè exponunt. Quod namque ait P. Vasquez 1. p. disp. 125. cap. 4. & 3. p. disp. 32. subsistentiam totius vnica, & simplicem esse, non verò in duas partes diuiduam. Primò, quia si darentur in composito substantiali duæ subsistentiæ partiales; quæuis pars per eam, quæ sibi peculiaris est, formaliter subsisteret: at hoc falsum est: cum enim subsistere sit esse per se, & nulla pars compositi per se esse possit; tum quia quæuis est in toto, tum etiam quæuis alteri communicatur; sanè vtroque nomine nulla pars compositi sistere in se, siue subsistere poterit. Secundò ab inconuenienti: quia aliàs in homine duæ semipersonalitates admitti deberent: & anima rationalis semipersona esset, quod ridiculum est. Hoc, inquam, quod disputat P. Vasquez admodum solidum non est. Ad primum respondeo, rem esse in toto, siue communicari alicui parti optinè coheret cum hoc, quod est eam subsistere, vt subsistentia in præsentia vsurpatur: siquidem Verbum diuinum subsistit, & tamen est in Christo veluti in toto; & humanitati veluti parti talis compositi communicatur, vt communius Theolog. docent cum Augustino lib. 13. de Trinitate cap. 17. ibi: *quandoquidem sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duobus substantiis fieret vna persona.* Idem argumentum fieri potest in quavis continui parte, quæ etsi in toto continuo sit, & alteri parti continuæ communicetur, proprie tamen subsistit, cum ens essentialiter completum sit. Ad secundum argumentum respondeo concessâ sequelâ, & negatâ absurditate consequentis. Primò, quia, iuxta P. Vasquez, anima rationalis separata à corpore gaudet subsistentia peculiari, per eamque proprie subsistit: videat igitur, an semipersona dicenda sit. Secundò, quia semis nihil aliud est quàm dimidia cuiusque rei pars: vnde semipersona dimidia personæ pars erit: at subsistentia illa vnica, & simplex, quam concedit P. Vasquez, non est integra persona hominis, cum hæc naturam humanam, & eiusmodi subsistentiam includat: ergo dimidia tantum personæ humanæ pars, atque aded semipersona erit.

17 Quod autem docet P. Suarez disp. 34. Metaphys. sect. 5. subsistentiam totius non esse vnica, & simplicem, sed in duas partiales diuiduam. Primò, quia creatio terminatur ad rem subsistentem: at quæuis pars hominis prout condistincta ab alia creatur: ergo & subsistit. Secundò quia quæuis pars compositi materialis, aquæ v.g. prout condistincta ab alia habet subsistentiam partialem: ergo & quæuis pars compositi essentialis. Consequentia videtur perspicua: quia vbi partes integrales aquæ omnino similes, & homogeneæ, proprias tamen, & partiales subsistentias fortiantur; non est, tur id ipsum non dicatur de partibus essentialibus, quæ multò magis dissimiles sunt. Antecedens verò suadetur: quia cum subsistentia totius integralis corporea, & materialis sit, in partes integrales, & extrinsecas necessariò diuidua erit: vnde quæuis pars eius compositi propriam subsistentiam habebit, & quidem aliàs eadem simplex, & indiuisibilis subsistentia totius maris æquor substantialiter complebitur: tam longè latèque diffundit eandem indiuisibilem entitatē incredibile est. Ceterum hoc etiam, quod P. Suarez disputat, maioris momenti non est. Ad primum respondeo: creatio terminatur ad rem subsistentem per ipsam creationem: haud aliter ac cognitio dicitur terminari ad obiectum, quod tale sit, non independenter à cognitione, sed per ipsam formaliter: vnde quæuis pars hominis propriam, ac peculiarem subsistentiam sibi vendicat, si subsistentia fusè accipiat pro actione creatiua, fecus verò si pro suppositualitate pressius vsurpetur. Ad secundum respondeo: quæuis

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

pars aquæ formaliter aqua est, atque adeo suppositum: cum ergo suppositum formaliter subsistentiam includat, certè quæuis pars aquæ prout condistincta ab alia integrali propriam & peculiarem subsistentiam sibi vendicat: at quæuis pars essentialis v.g. suppositum non est, vt omnes supponunt, vnde non erit, cur prout condistincta ab alia propriam, & peculiarem subsistentiam sibi arroget.

18 Rursus quod Caietanus, Ferrara, Herrera, Hurtado & alij docent, subsistentiam esse rem absolutam, & non modum. Primò quia modus est essentialis determinatio vnus rei ad aliā: qua ratione vnio vnū extremum ad aliud determinat: at subsistentia est vltimum complementum naturæ eam ad aliud minimè determinans: quodnam enim illud aliud esse potest. Secundò, quia subsistentia Verbi naturam humanam subsistentem denominat, quin per se ipsam ei vnietur, eiusve modus sit: cur ergo subsistentia creata naturam humanam subsistere non faciat, quin eius modus sit, eius per seipsam vnietur? Tertiò, quia si subsistentia creata non esset res absoluta, sicut Verbum, sed modus: eius effectum formalem supplere non posset subsistentia Verbi: at eum supplet. ceterum hoc quod aduersarij nuper citati disputant, parum, aut nihil habet roboris: quicquid enim sit, an de conceptu modi sit, vt vnū ad aliud determinet; quod fortassis falsum esse inferius constabit: Ad secundum respondeo: quemadmodum subsistentia Verbi denominat naturam humanam subsistentem, absque eo, quod ab illa in genere causæ materialis dependeat, & absque eo, quod per illam intrinsecè perficiatur, quin tamen inde inferri possit, ac debeat, subsistentiam creatam non pendere in genere causæ materialis à materia, ab eave intrinsecè non perfici: ita similiter quod subsistentia Verbi sit res absoluta, & nō modus, modalitatem subsistentiæ creatæ neutiquam adimet. Ad tertium respondeo vti subsistentia verbi humanitatem sanctam denominat, effectumque formalem gratiæ supplet, quin forma accidentalitatis naturæ humanæ sit, sicuti gratia, & quin creata sit sicuti gratia, ita similiter esto non sit modus, sicuti subsistentia creata, modus est: eius effectum formalem supplere, & humanitatem subsistentem denominare poterit.

19 Præterea quod P. Suarez, & Vasquez vbi supra docent, subsistentiam esse modum, & non rem absolutam, Primò, quia non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate: at nulla est necessitas distinctionis realis absolutæ inter subsistentiam & naturam: aliunde verò eā admittit plures quidem entitates in rerum natura adstruuntur, quàm si subsistentia modus sit: natura enim subsistens per subsistentiam absolutam complectitur naturam, subsistentiam, & vnionem ab ambabus distinctam: ceterum subsistens per subsistentiam modalem solum complectitur naturam, & subsistentiam, & nihil amplius. Secundò, quia iuxta hanc sententiam rectè intelligitur quatenus diuisio substantiæ corporeæ in materiam, formam, & compositum ab Aristotele, & reliquis Philosophis admittit: supposito etiam mysterio Incarnationis tanquam idonea, & adæquata admitti, ac defendi possit: cum enim subsistentia sit dumtaxat modus materiæ, & formæ, aut, si maius, compositi, non vero res absoluta ab iis omnino distincta, ad alterutrum ex tribus illis membris reduci, & sub eo comprehendendi poterit: haud secus ac vnio, quia modus est sub ea diuisione comprehenditur, tamen nec materia, nec forma, nec compositum sit. Verum hæc facile conuelli possunt: quod enim ad prius argumentum attinet, pari ratione gratiam habitualement non qualitatem absolutam,

absolutam, sed modum esse ab aduersariis concludi posset: ita enim pauciores essent entitates in rerum natura: deinde sicuti non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate, ita similiter non est adstruenda sine necessitate connexio essentialis vnius rei cum alia: aliàs materia posset asseri essentialiter connexa cum aliqua forma substantiali, & ne diuinitus ab ea separabilis; quod tamen vel ipsi aduersarij falsum esse censent: at nulla est necessitas connexionis essentialis naturæ cum substantia: igitur ea adstruenda non est: quod si substantia modus naturæ esset, haud dubiè adstrueretur. Quid? quod, hi qui priorem sententiam tenent, necessitatem aliquam pluralitatis entitatum cum realitate absoluta substantiæ coniunctæ, argumentis suis conuicisse sibi videntur.

20 Ad posterius verò argumentum responderi potest: quemadmodum qui prætermisso accidenti ens in communi in substantiam creatam, & increatam disseccaret legibus exactæ diuisionis minimè staret, quamuis accidens modus quidam essendi sit; & propterea non tam ens, quàm entis ens à Philosophis appellatur: & rursus, quemadmodum qui prætermissa duratione, vocatione, aliisque modis, accidens in communi in quantitatem, & qualitatem diffunderet, leges adæquatæ, & exactæ diuisionis minimè impleteret, quantumlibet duratio, vocatione, aliique modi tales sint respectu quantitatis, & qualitatis: pari ratione diuisio substantiæ corporeæ in materiam, formam & compositum adæquata & exacta non erit quantumlibet substantia, quæ prætermittitur, modus quidam compositi vel eius partium sit, nec hoc sufficere ut in ea diuisione comprehensa intelligatur. Idem argumentum confici potest in compositione continua ab eaque ad compositionem essentialem hunc in modum ratiocinari licet; qui assereret continuum solum constare ex partibus proportionalibus quaua versus diuiduis, & puncta lineam ac superficies omitteret, his procul dubio corpus continuum malè explicaret. Et tamen iuxta P. Suares & plures aduersariorum puncta & linea ac superficies sunt modi partium: modalitas ergo substantiæ non exculat eos, qui prætermisissâ substantiâ in diuisione substantiæ, dumtaxat materiæ, formæ, & compositi mentionem faciunt. Quod autem in ea diuisione quodammodo comprehendatur vnio, quæ tamen nec materia, nec forma, nec compositum est, videlicet quoniam est eorum modus; falsum est ut quod maxime, quia non ideo eiusmodi diuisio comprehendit implicite vnionem quia hæc est modus eorum membrorum diuidentium, aliàs etiam comprehenderet vocationem, durationem simileque modos: sed quia compositum vel intrinsecè & essentialiter includit vnionem seu compositionem, vel certè quia expressè vnionem connotat: itaque ut sine ea etiam diuinitus reperiri nequeat: hæc autem ratio non militat in substantia, quam natura expressè non connotat, & sine qua vbi compositum non sit, natura diuinitus conseruari potest.

21 Quod ad vltimam difficultatem initio propositam attinet: nimirum cur natura creata multiplici personalitate terminari non possit, quàm impares ei explicandæ aduersarij sint, superius cap. præcedenti ostensum manet; multoque minus ab his explicari potest, quatenus natura creata absque omni substantia ne miraculose quidem conseruari possit: quod tamen in nostris principiis facillimum explicari est: cum enim partes hominis simul sumptæ, & vnitæ absque toto diuinitus esse nequeant, nullà certè ratione conseruari poterunt absque substantia, quæ

in eiusmodi toto tota consistit. Prætermisissis ergo his occasione eorum, quæ nuper polita sunt, communem Neotericorum sententiam impugnare, ac nostram propugnare liber. Quocirca sic argumentor.

22 Partes hominis, verbi gratia sunt duæ tantum, videlicet materia, & forma: at si daretur eiusmodi substantia incompleta, quàm plures Neoterici tuerentur, non duæ, sed tres forent: nempe materia, forma, ac substantia: ergo, &c. Maior est omnium Philosophorum, ac Theologorum, eamque perspicuè tradit Augustinus de spiritu, & anima cap. 4. aut Hugo Victor, vel quicumque eius operis author est: ex duabus, inquit, substantiis constat homo, anima, & carne. Id ipsum etiam docent Athanasius in symbolo. Aristoteles 2. de anima cap. 1. alijque, quos congerere necesse non est. Minor autè probatur: quod est de intrinsecò, & essentiali conceptu hominis eius pars necessariò est, vel certè totus homo: at substantia est de intrinsecò, & essentiali conceptu hominis; natura enim secundum se, & seorsim à substantia homo non est, ut ex mysterio Incarnationis constat: cum ergo non sit totus homo, iuxta aduersarios, opus est, ut in partem saltem hominis eam admittant. Quod autem huic argumento responderi potest substantiam, eo quod modus sit, non censerì partem hominis: haud aliter ac vnio inter partes hominis: non connumeratur: hoc, inquam supra impugnatum manet. Quod autem alij respondent, hominem non physicè, sed metaphysicè ex substantia componi, lusus vocabulorum est: cum enim substantia realiter distinguatur à materia, & forma; & seclusa omni operatione intellectus cum iis hominem constituat; quæ ratio esse potest, quominus hominem physicè constituat, ac proinde non solum substantia, verum etiam natura partialis euadat.

23 Ad hæc fieri nequit, ut vna materia duplicem formam substantialem capiat: vel ut vna forma substantialis sit subiectum connaturale alterius formæ substantialis: at vtrumque sequitur, si substantia sit entitas quadam incompleta: ergo &c. Sequelam probò: nam substantia eo ipso, quod sit entitas incompleta naturam pro posteriori complens, nequit non esse forma substantialis: ergo materia simul cum anima rationali substantiam recipiens duplicis formæ substantialis receptiua erit: & rursus anima rationalis substantiam vel sibi peculiarem, vel materiæ communem recipiens, formam aliquam substantialem recipiet. Antecedens suaderetur, quia iuxta aduersarios omnes substantia illa incompleta generatur: ergo producit dependenter à subiecto: cum ergo solius formæ sit esse in subiecto; & forma, ac subiectum correlatiua sint, profecto substantia forma non esse non poterit: ac forma accidentaliter non est: ergo substantialis. Rursus si substantia illa incompleta forma substantialis naturæ non esset; maxime quia eius purus terminus esset: haud aliter ac linea puncto superficies linea, & corpus superficie terminatur, ut Caietanus; & alij aduersarij philosophantur: at hoc est falsum: id circo enim punctum est purus terminus lineæ, non vero eius forma, quia non penetratur cum linea, nec in illa recipitur: alias quidem esset in loco diuisibili, quem linea occupat: idemque de hac respectu superficie, & de hac respectu corporis dicendum est: at substantia est intimè penetrata cum naturâ, & in illa recipitur. Equidem si verbis ita ludere fas est, nullo argumento is impugnari poterit, qui omnes formas substantiales de medio tollat, omnesque actus, quibus substantiali-

ter materia perficitur, eius non formas, sed terminos intrinsecos appellat.

24

Hactenus explicuimus, quid Auctores communiter de substantia sentiant, nostramque etiam de ea sententiam in Physica traditam recolimus, quam si quis amplecti recuset, ac distinctionem naturæ à substantia indistinctionem totius à partibus reuocare nolit, poterit is substantiam in actione creatura rei collocare, præsertim cum personalitates diuinæ in originibus, siue actionibus ad intra proculdubio consistant. Animaduertendum tamen primum est, actionem creaturam non cuiuscunque termini, sed solius substantiæ completæ substantiam, siue supposititalitatem dicendam esse: quocirca actio creatura accidentis, aut etiam animi rationalis erit substantia, & non supposititalitas, aut personalitas: actio vero creatura substantiæ completæ irrationalis erit substantia, & supposititalitas, non vero personalitas: ac tandem actio creatura substantiæ completæ rationalis erit substantia, supposititalitas, ac personalitas. Animaduertendum est secundò, substantiam dicendam esse actionem creaturam, quæ sit productiua rei, non solum independentem à subiecto causalitatis materialis, in quo intrinsecè recipiatur, verum etiam independentem à subiecto totalitatis, siue à composito; quod intrinsecè constituitur, & in quo intrinsecè perficiatur: quapropter natura humana Christi, siue eius corpus, & anima propria substantia non subsistunt, quia Christum intrinsecè componunt, & in eo intrinsecè perficiuntur: Verbum autem è contrariò non obstante vnione hypostatica, & ante illam per se subsistit: quia licet Christum intrinsecè componat, ea tamen compositione minimè perficitur: eius enim infinitas perfectionis accessionem sustinet. Animaduertendum est tertio, substantiam non esse creationem actiuam in volitione Dei efficaci sitam: tum, quia aliàs non solum humanitas Christi, verum etiam quæuis alia natura per aliquid diuinum subsisteret: tum etiam, quia aliàs per denominationem extrinsecam homines essemus: sola ergo creatio passiuæ termino intrinseca, eique superaddita naturam substantentem, ac personatam denominabit. Ne vero in negationes Scoticas, quibus expediti sumus, iterum impediatur, cauendum vltimò est, actionem creaturam intrinsecè, & essentialiter talem esse, nec extrinsecè tantum ac vi alicuius negationis adiunctæ ab actione generatiua differre: quod tamen alibi à me impugnatum sit, si tamen substantia substantia singularis completa esse nequeat, facta quidem hac hypothesi, verissimum est; illudque libertas forsan actioni liberæ essentialis, & necessitas explicandæ substantiæ apprimè persuadeat. Postquam hanc meam de identitate substantiæ creatæ cum actione creatura sententiam meditatus essem, prodit statim in lucem eximium opus Sapientissimi Patris Bernardi de mysterio Incarnationis: vbi disputatione 12. sectione 1. §. 2. & 3. collocat etiam in actione creatura substantiam. Quamuis autem, paulò aliter ac ipse, creationem, & eius à substantia indistinctionem explicet; ac bene est, quod in principali puncto opinionis ambo, & quidem re inuicem non communicata, conuenerimus.



TRACTATUS IV.

De predicamento quantitatis.

CAPVT I.

Aliorum de conceptu quantitatis sententia premittuntur.

QUOD OMNIPLES Thomistæ cum B. Thoma opusc. 52. tuerentur, essentiam quantitatis consistere in eo, quòd sit mensura: immeritò tamen, quia cum definitur ab iis quantitas mensura, vel sensus est, esse mensuram alterius quantitatis, vel esse mensuram substantiæ, seu materiæ, cui iuxta hos auctores quantitas inhæret: at in vtroque sensu definitio est falsa, aut certe parum idonea: in primo quidem, quia nulla res commodè definitur per ordinem ad aliud eiusdem rationis: quanquam enim homo sit generatius alterius hominis, ineptè tamen per eam potentiam definiretur, nec nisi per respectum ad connotata diuersæ rationis, ac speciei, sentiones videlicet, ac discursus aptè, & ad rem accommodatè definitur in hunc modum, homo est animal rationale. Cuius ratio à priori est, quia nec directè, nec indirectè definitum ingredi potest definitio rem; aliàs hæc illo clarior, ac dilucidior non esset. Secundus etiam sensus haud magis quadrat, quia quantitas non mensurat, nec facit innotescere perfectionem materiæ secundum se: materia enim maioris, aut minoris perfectionis eidem quantitati indifferenter subesse potest; haud secus ac è contrariò quantitas perfectior, vel imperfectior, aliæve formæ inæquales eidem materiæ inesse possunt: quantæ ergo perfectionis sit materia ex quantitate, cui subest, venari non possumus. Quod si asseras, quantitatem esse mensuram materiæ, non quod eius perfectionem, sed quod eius molem, & magnitudinem innotescere faciat, id quidem nihil dictum est: quia in mole, & magnitudine materiæ eius quantitas quidditatiuè clauditur: quare per quantitatem innotescere magnitudinem materiæ, non est, materiam secundum se, & penes suam substantiam, sed ipsam quantitatem per seipsam innotescere, sui que ipsius mensuram esse; quo iam nec sententia, nec posterior eius sensus defenditur, sed potius deferitur.

Alij Thomistæ cum Capreolo in 2. dist. 3. artic. 1. & 3. ac Soncinæ 5. metaphys. quæst. 19. tuerentur, quantitatem esse, quæ materiæ à se realiter distinctæ partes integrales tribuit, quæue efficit, vt partes materiæ in potentia tantum distinctæ actu distinguantur. Verum in primis hæc quantitas vnitur realiter materiæ A & non materiæ B ergo pro priori naturæ ad eam vnionem datur hæc, & illa materia: aliàs hæc potius, quàm illa eius vnionis terminus esse non posset. ergo materia antecedenter ad quantitatem, & independentem ab illa veram aliquam distinctionem partium sibi vendicat. Rursus, materia distinguitur realiter à quantitate: at non per aliquid ab vtraque distinctum realiter: ergo etiam vna pars materiæ ab alia realiter distingui poterit, & non per quantitatem vtrique realiter superadditam. Consequentia videntur sine discrimine. Antecedens est aduersariorum, & vel ex eo constat: quia aliàs sequeretur processus in infinitum, vt sæpè in simili probatum manet. Nec valet, si in hunc modum argu-